

posterum educandos habet charissimos. DN. MÖL-
LERVS PRÆTOR Filium ad aliam Spem non
destinavit, nisi cujus fundamentum poneret Weisi-
us. DN. NESENVS Natos ad Majorum glo-
riam progressuros hic incitari jussit. DN. RODOS-
SIVS & Filium prematuro fato ereptum, & alte-
rum qui novam in spem successit, ab hac informati-
one noluit esse alienum. Et cur enumerem singu-
los, si favent universi?

Accipite igitur, Patroni ac Fautores certissi-
mi, consecratam Vobis Orationem, simulq; in eam
Spem me deducite, nunquam fore meam industri-
am Scholasticis augmentis adeo deditam, quin Ve-
stra benignitas majori subinde vel subsidio vel an-
xilio succurrat. Floruerunt nostra studia, quam diu
floruit lectissimus Pater: Danda nunc est opera, ne
laudem semel occupatam imminui, vel doleat Po-
steritas, vel gaudeat Invidia. Neq; votis non re-
spondebit eventus, si, quod semper fecistis, vestro
Amore Scholam reddatis amabilem, vestrâ Aucto-
ritate concordem, vestra Defensione securam. Et
Patronorum favore Scholis accedit pretium, Do-
centibus fervor, discipulis incrementum. Et duas
verò habemus alas, quibus divina gratia nos ad ar-

dis-